

P I S A

1 6 0 8



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*Hd. 11.*



CARMINA GRATVLATORIA,  
**IN HONOREM**  
 NUPTIARUM, QUAE  
 PIETATE, QUAE LITERIS  
 Ornatissimi Viri M. DANIELIS  
 MÖNCHMEIERI, Rectoris Scholæ  
 Saltzensis, SPONSI,  
 &  
**HONESTISSIMÆ AC**  
 PVDICISSIMÆ VIRGINIS ELISA-  
 BETHÆ, Viri Honestissimi VALENTINI  
 VVÛSTMANNI, Civis quondam Torgensis  
 primarij relicta filia SPONSÆ, ad D. 30.  
 Maij in Salinis majoribus celebra-  
 darum,  
 Scripta  
 A Fautoribus & Amicis,  
 VVITTEBERGÆ  
 Excudebat Laurentius Senberlick, Anno 1608.

*Doctiss. Do. Petro à Fobena amico suo plurimum  
 colendo et Johanne et Hamburg.*



Ad M. Dan. Monchmeierum,  
Sponsum.

*S*ponsa tibi tua pacta mea est interprete lingua;  
Sed qua facta tuis moribus ante tua est.  
Ante quidem SPERATA tibi; dein PACTA: MARITAE  
Nunc tibi tota viro CONDITIONE datur.  
Sistere quam te etiam cuperem sollemnibus Ara,  
Atque hymenem ad thalami sacra vocare tui;  
Qua sacra Mercurius, Suadela, & Gratia triplex,  
Et Venus in Nuptos OFFICIOSA patrat.  
Sed meus hic non sum. tuq; id te scire fateris.  
Qua RECTOREM igitur carmina fronte rogas;  
Aut me presentem vestras portare Salinas?  
NON minus esse potest, qui Suis esse nequit.

Frid. Taubmannus, Fr.  
Poeta & Professor.

Handwritten marginal notes in a cursive script, likely a library or archival inventory, running vertically down the left side of the page.

## Ode Davidica.

Προσφωνησις ad Dn. Sponsum.



ACTE istòc animo! socium legisse laboris  
Quem iuvat, ille operi par erit, estq; suo.  
Grammaticos canonas tener & inculcare iuveta.  
Res est Herculeæ digna labore manûs.

At corruptorum quia tanta licentia morum est,

Majus opus, juvenes posse domare animos.

Buffalio curas, sapientum octavus, adauget,

Plurima qui passim, quæ reprehendat, habet.

Instar Agasonis cerebro sudante labores;

Non interrupto pensa labore trahas:

Non tamen effugies postica murmura sanne.

Tam miserâ in Ludis conditione sumus.

Expertus loquor hæc, duo dum septennia vitæ,

In scholico cursû pulverulentus, ago.

Quot mala Sisyphicæ tulerim sub pondere molis,

Nemo, nisi expertus talia testis erit.

Quin tu, Sponse, cui talis provincia capta est,

Tempore venturo post mihi testis eris:

Quando libri è Ludo redeuntem sæpè videbunt,

Immemorem potius, immemoremq; cibi.

Sordes, Contemptus, Hostes, Odium, Labor, Angor,

Sunt quæ doctori dat SCHOLA dona suo.

Quis queat esse super tantis, sine compare, curis?

Tam duro officio quis queat esse super?

A 2

A

*At calidus tamen hic Censor de calibe vita,  
 Discentum studiis utiliore, crepat.  
 Si nisi, censori, caelebs qui pectora format,  
 Nemo satisfaciet; nemo satis faciet.*  
**MONCH MEIERE** sapis, qui vita calibis usum  
 Respuit. & lecti vincla jugalis amas.  
 Perfer, & obdura, sortis mala vince silendo:  
 Spes animosa animi triste serenet onus.  
**ELISABETHA**, quies Domini qua dicta, quietam  
 Efficiet vitam, non sine dote, tuam.  
 Illa geret curas, quas cura domestica praefert;  
 Dum tuus in Scholico carcere sudat equus.  
 Quod superest, pactas grator tibi carmine tædas,  
 Carmine, Sionio quod mihi Fonte fluit.  
 Tu cape, de Psalmis qua promsi vota Davidis,  
 Quæ Deus eventu prosperet ipse bono.  
 Utq; Tori sitis specimen concordis uterq;  
 Sis animi requies illius; illa tui.

PSALMVS CXXXIII.

E Psalmodia Lutherano-Germanica

Dn. D. Cornelij Beckeri /

Latine factus.

PAX PARADISUS.

Argumentum.

**V**T floridus  
 Terræ Satus  
 Quam pax bonis secundat!  
 Pax construit;  
 Lis destruit:

De

Delite lis redundat,  
Pacem cole;  
Litem fuge;  
Offensa sarcatur,  
Lis anxia  
Est pectora;  
Hinc vastitas creatur,  
Mi CHRIS TE frange Dæmona,  
Litis ferat ne semina.  
Pax regnet in Choro, & Foro,  
Toroq; , & omni in angulo:  
Celebremus ut te sospites,  
Quietis almae compotes,

*Canitur ad Melodiam*

Hats Gott versehen / so mus geschehen. &c.

**Q**uam bella res, Concordia,  
Fraterna jungens pectora!  
Quam bella res communio,  
Quam pacis unit unio.

**I.**  
Fragrans ut aura ballami,  
In os Aronis deflui,  
Barbamq; Limbumq; irrigat,  
Odore pectus recreat.

**III.**  
Ut roris uber herbidum  
Fœcundat Hermonis jugum,  
Inebrians ridentia  
Sionis alti pascua,

IIII.  
Dat gratiam & vitam Deus,  
Concordiam colentibus:  
Pacis studens, feret rata  
Solo, poloq; præmia.

F. Valentinus Cremcovius C. S.

20. die Majj, Anno, Et ne nos InDucas  
In tentationem.

---

**D**ONA ferunt alii Sponsis: nec dona, nec aurum  
Do vobis, animi sed bona vota mei.  
Vivite felices, unâ duo corpora mente,  
Et vestras pulset nulla querela fores.  
Vivite concordēs, non fiat tristis amaror  
Captus amor, servent paxq; fidesq; torum.  
Vivite fœcundi, thalami date pignora, digna  
Pignora patre suo, digna parente sua,  
Vivite longævi, quos dulcis copula junxit,  
Æternâ Pylios vivite pace dies.  
Hæc precor, hæc socias qui fecit fœdere mentes,  
Faxit & hic voti terminus esto mei.  
M. Christianus Gilbertus, Torgensis,

---

Ἐδύλλιον γαμικόν.

**C**ONANTVR tennes tenuia: nam pudor  
Insuetâq; Lyra Musa vetas: canunt  
Grandes Grandia: quod maxima possient,  
Conantes ope Pallados.  
Sectabor prius, & carminis alite  
Laudes conjugy, Nymphe, anima mea

Plus

Plus quàm dimidium, condere pronubo

Non praer solitum places.

Tu specta, TIBI do: Nam tua ELISVA,

Suppar munditijs Cypridos, hauri mala

Sibilla (hac avis est rara?) puellula

Excivit calamum meum.

Vis dicam? tacitâ Te caluit face,

MONCHMEIERE, mea nescia stimula,

Vexatum est, fateor, fessus at ipsus es

Nunquam: VIRGINE COR CALET!

Miratus silui: miror idem silens!

Sed nullus tepeas: semper amabilem

Amplexeris; ERIS ceder, & hinc EROS

Apprastans DOMINABIS!

Succresces melius, si qua volubilis

Obiectet mala fors, si qua Dei manus;

Tu contra facito! lenies hac AMOR

Nec non COR bene-munum.

Ecquis non adamat tam lepidam; bonam,

Exper tem vitij? Ecquis faveat minus

Rixarum vacua, blanditijs gravi,

Laudes & moribus aurea?

Hanc qui nolis, HOMONAE mihi des se

Diētari? iuvenis, si tibi spernitur

Grata dulcis amor virginis & placens

Risus nullus es uspiant

Donec flex animo canities abest

Vultu, Virgibus sape inimicior.

Quis nescit licitum, figere basium,

Consueverumq; Epos addere

Te plus his oculis diligo, Suavium

Opiatum, socium tu mihi corculum

ELISA

BT

Tu spes in rigidis, Tu mihi gaudium?  
 Tu Ver, Tu quoq, mel meum!  
 Vnum cor maneat, dic mea gemmula,  
 Velle unum maneat, dic mea flammula,  
 Mentem unam mea mi prome columbula  
 Te novi rosulam meam!  
 Tu lumen, requies, Tu decus es menm?  
 Me totum tibi do, te mihi des! dabo  
 Cum dextrâ indubiam Connubij fidem  
 Cum corde ipsam animam dabo!  
 Verba hac sunt juvenum, hac praelia virginum  
 Iactis in juvenes spebus alacrium?  
 Adversum poterunt non Neonymphuli,  
 Exemplum probat exitus,  
 Heic compto juveni compta juvencula,  
 Heic casto juveni castula costula,  
 Heic bello juveni bella Puellula  
 Nexu legitimo datur.  
 Non verbis procul, & non sine praelis  
 Praefatis penetrat corda tenellula  
 Sponsorum, rapido qui penetrantior  
 Igne ardor latet intimus.  
 MONCHMEIERE, mihi dic agè verbulum.  
 Nonnè hac, qua propero, corcula suscitant  
 Accensis facibus mota jugalibus?  
 Credo mentis idem Tibi.  
 Mentem laude bonam, dege beatius,  
 Spartam perge tuam, vive diutius,  
 Vestrum IHOYA thorum prosperes & Larem  
 Tadis BIGA novellulis!

M. Petrus Hechtius,

ELISA,

**E** LISABETHA tibi DANIELI lege Magistro  
 iungitur, & stabili fœdere juncta manet.  
 Omen inest verbis: Summi namq; otia signas,  
 Elisabetha, Dei. Nomina grata geris.  
 Quæ mollire Deum, quid? nesciat illa maritum?  
 Otia, sed Requies, qualia, sponsa, dabit!  
 Est labor, heu labor est, Doctorum volvere scripta:  
 Otia sed Requies Elisabetha dabit.  
 Est labor & Musas profiteri; sudor & artes:  
 Otia sed Requies Elisabetha dabit.  
 Est labor ancillas, labor est protrudere servos:  
 Otia sed Requies Elisabetha dabit.  
 Est labor in thalamo fatis male tristibus angis:  
 Otia sed Requies Elisabetha dabit.  
 Et Iudex, Daniel, verbo cognoscitur ipso:  
 Iudex, qui populum iudicat ense Dei.  
 Despunt hanc igitur, quæ sola nitere videtur:  
 Iudex, sed Daniel dissona iura dabit.  
 Is quoq;, cui mores non grati, carpere pergat:  
 Iudex, sed Daniel dissona iura dabit.  
 Imprimat & stirpi maculam quæ nata puella est:  
 Iudex sed Daniel dissona iura dabit.  
 Nesciet & forsitan curare domestica, dicat:  
 Iudex, sed Daniel dissona iura dabit.  
 Nomina corveniunt rebus: cum Iudice semper  
 Otia pacifico splendida in urbe vigent.  
 Otia sic igitur, tua quæ sunt Otia iudex  
 Accipe, da grates optime sponse, Deo.  
 Et tu chara Quies benè versa Iudicis ignem:  
 Is tibi, non alios, sponsa, verendus erit.  
 Fortè sed heus multum, Iudex, cognomina terrent  
 Lisula Vastatrix dicitur ecce Viri.

HABE

*Hanc ducat Satanas, qui non augere creatus:  
Annoſo pariat pignora Nuptia Viro.  
Sed benè! Nam Vacuum juvenem cognomina ſignant,  
Quod cupiat verè reddere juncta Virum.  
Vaſtabit juvenem, faciet ſecunda Maritum,  
Non juvenis, conjux pignora ſolus habet.  
Te quoq, fortè nimis, Requies, cognomina terrens,  
Et Monachum, Daniel, Meſſor & hoſtus atrox,  
Sed benè: Nam Monachis demeſſis, mox Momiali  
Iudicium ſocia conjugiale leges.  
Fas vaſtos Monachos vaſtare, ſed optima res eſt:  
Parcere virginibus, parcere conjugibus,  
Vivite concordēs, ſocio vos corde fovete,  
Vivite felices, oſcula grata date.  
Iudex vive, vale; Requies quoq, vive, valeq;  
Tu Daniel felix, Eliſaberha ferax.  
Mense nova deno matri, vel Liſula dulcis,  
Dulcis vel Daniel, luſtiet ante pedes.  
Sic Vaſtatrici Monachus ſio arma parat,  
Arma, tori ſocij, qua pia lura volunt.  
Iudici & Requies ſic felix Otia conſors  
Solviſti rædis Otia digna novis.*

**Mauritius Poltzius,  
Affinis.**

---

**S**int licet Momi fatis invidentes  
**V**irginem cultam juveni petenti,

**Quam**

Quam sibi jungit Domino volente

Fœdere lecti:

Nil tamen præstare queunt, abunde

Ceu docent exempla quotidiana

In celebrandis thalami diebus

Prorsus ubique,

Quippe conatus DEUS impiorum

Atque Momorum solet impedire,

Quin recompensat prout unicuique

Damna dedere.

Si sit eia Sponse tibi, tibi que

Sponsa, qui tali ratione rodit,

Zoilus vestrum sociale fœdus

Quod subjistis,

Hunc tamen desperte, cogitate,

Ille quod vobis, velut hostis, omni

Robore adversetur, eumq; corde

Effugitote.

Sed Deus vobis tribuat beatum

Vinculum lecti, procul avocet que

Impetum sortis rabidæ, trahatis

Quò benè vitam:

Castitas vobis fiet usque pura,

Donec ætatis pietate metam

Tangitis, quò sic habeatis olim

Gaudia cœli.

Laurentius Karge, Brandeb.

B z

DV m

**D**um Sol auricomus canero vicinior, igne  
Torret agros rapido flavescentesq; inficit herbas,  
Arent arva siti sicca, nimioq; calore  
Exhaustos pratis videas languescere flores.  
Nec minus in rea temet Neonymphe beatum  
Torret edax imas perreptans flamma medullas  
Flamma ingens, quam non violento Syrius aestu  
Excitat, aut rapidi fax ardentissima Phœbi.  
Sed quam flammiferis natus Cytheræidos audax  
Vibratam manibus teneros tibi misit in artus.  
Qui tam formosa latitans sub fronte puella  
In te tela tuum sine fine cremantia pectus  
Flammea tela jacet, quæ non leni verit umbrâ,  
Umbra ferens homini rapido solamina Phœbo,  
Non fons extinguet, quis fons medeatur amori?  
Sola ea quæ misit, si tela refellere nolit  
Addere opem & duros poterit lenire dolores,  
Et dabit: Ecce tibi (nam tela reciproca sentit)  
In thalamum tua vota tuum sese exhibet ultro,  
Et tibi se sociam dicat, & solamen amoris.  
O te felicem tam castâ virgine sponsum,  
Felicem dico, quid enim felicius illo,  
Cui tam pulcra venit diuum de munere Nympha,  
Nympha cui inuideat ni veam Venus aurea frontem:  
Si fas invidia est agitari credere Divas,  
Cui viola, & si quid violis est pulcrius ipsis  
Cedere coguntur florenti lilia campo.  
Quæ si Dardanio fuerit monstrata puello,

Poma

Poma Eridos victrix caperet, neq; poma negaret  
Iuno, Minerva, Venus pulcherrima triga Dearum,  
Hac olim Phæbo si visa fuisset amanti,  
Errares Daphne, nec Phæbum frondea laurus  
Falleret: hanc spreta peteret Minoida Theseus,  
Sola hac præ reliquis, sola hac est digna puellis,  
In cuius gremium se rector Iupiter orbis  
Mittat, rivalem modò hic concesseris illum.  
Maeste toro tali, pie sponse, prehendis amicos  
Quos multi optarunt jam dudum prendere portus:  
Nympha tuo multum venit exoptata cubili  
Scilicet hinc Musa gaudent, hinc Leucoris ipsa  
Latitia fremit, exultat præclara Salana,  
Dij Deaq; omnes tantos gratantur honores,  
Fæcundumq; torum & longæ optant stamina vite,  
Vivite felices concordî fædere, quos sic  
Vivere vult summi justissima cura parentis,

Dehlevus Mejerus  
Flenopoli Holsatus.

---

**N**unc gaudere licet: nunc pulsanda est pede tellus:  
Nunc arguta sonent, fas est, psalteria chorda.  
Cur? Nam fausta dies roscò nunc vectus ab ortu,  
Quò lecto, lectam, lectâ de stirpe puellam  
Consociare studet, DANIEL, cognom. ne M<sup>u</sup> CHMEIRN  
Nomini inest omen sponsi. Cur jungier atq; es  
Sponsa puri Monacho, qui pondus inutile lecti?  
Non est. Conveniunt non semper nomina rebus.  
Est juvenis vir adhuc nitidus vernantibus annis,  
Durus amor rapidum cui verlat in ossibus ignem,

B 3

Hinc

Hinc SPONSI nomen SPONSÆ, mihi convenit Idem;  
 Nam me DESERTAM vocitant, quæ vivit Eremitis  
 In vacuis, unquam nec confociata Marito.  
 Hinc dudum fieri decuit, quod nomina nostra  
 (Vera loquor) iam pridem sunt mihi poscere visa;  
 Scilicet ut lecto castè jungamur in uno,  
 Sacraq; connubij celebremus fœdera sacri.  
 Ergò agè fac subjecta Tibi sit SPONSE MAGISTER  
 Fœmina, quæ modò Deserti de nomine dicta est.  
 Sic erit unus Amor vobis, eademq; voluntas,  
 Vnaq; Res unus Torus una Caro, Domus una;  
 Rumpere quæ possit nemo nisi spicula Mortis.

EIVSDEM

VViteberga ad Sponsum.

<i>Munera magnis</i>	<i>Quæ mihi reddes</i>
<i>Pro bene factis,</i>	<i>Munere pro isto</i>
<i>Sponse Magister</i>	<i>Munera? Sat mi,</i>
<i>Magna referre,</i>	<i>Nempè quotannis</i>
<i>Suadet honestas.</i>	<i>Si mihi mittis</i>
<i>Te studiosum,</i>	<b>ELISABETHA</b>
<i>Teq; Magistrum</i>	<i>Sponsa, virago</i>
<i>Deniq; Sponsum</i>	<i>Castâ, pudicâ.</i>
<i>Te, VViteberga</i>	<i>Filiolumq;</i>
<i>inclinata feci.</i>	<i>Filiolamq;</i>

Iohannes Tobias Rosa Onoldinus Fr.

Sic fore dicebam dudum, Doctissime Sponse,  
 Iungetur lateri, virgo, tuo HELISABE.  
 Idq; me meis quia te aspiciebam sæpius oculis  
 Ovantem Sponsæ tectâ subire tuæ.  
 Sic amor urebat, sic mens ardebat amore,  
 Ut velles Sponsæ semper adesse tuæ.

Exitus.

Exitus acta probat: Multum ire redire solebas.  
Exoptata tibi nunc venit HELISABES.  
HELISABE, eximia renidens virtutis imago  
Et veræ exemplar quæ pietatis habet.  
Hoc sacrum voluit te Christus inire jugale,  
Quem monstrat sacrum Christus inis thalamum.  
Rectè igitur sequeris monstrantem, vera monentem.  
Sponsa adducentem rectè igitur sequeris.  
An dubitas, Christo monitore, venisse Maritam?  
En tibi quid porter nomen & omen, habe.  
Helisaben Solymi, requiem dixere Latini,  
Quod requiem curis à Iove missa ferat.  
Eja age, quid cessas, DANIEL, age suscipe, te vult  
Nympha decens, magni nuncia bella Iovis.  
Quam benè conveniunt donumq; venustaq; doni  
Nuncia, pacifici nominis HELISABE.  
Quid cessas? quid jò fortunatissime cessas?  
Accipe Devota cœlica dona manu.  
HELISABES faciet nomen quod dicitur, atque  
Esse quieta volet nominis admonitu.  
Hæc tua erit requies, Titan cum eluxerit orbi,  
Cumq; aderit vaga nox, hæc tua erit requies.  
Et fugiet litem, semper quæ inimica Marius,  
Vitabit rixam, quæ est inimica Deo.  
Pacè Deus gaudet, pacem venerantur amantes,  
Pacis amans Deus est, pacis amans torus est.  
Inde precor, diuturna quies pax mutua vestram  
Usque habitent (procul hinc his mala cede) domum.  
Det Deus, ut casto vigiles in limine perstent  
Mutua pax, requies alma, perennis amor.

*Amoris honoris, & memorie ergo  
apposuit*

Georgius Christophorus Seefridus  
Onoldinus Fr.

**Π**ολλὰς λαμπεῖς καὶ ὁρᾶσά φα κήλι⊙ ἀνδρας  
 Τροπομένους ὀλοῆ τῆ Φιλότητι Φρένας.  
 Ὡς μόναχοι κρυεροῖς ἐπὶ δώμασι ναιετάοντες,  
 Μειλιχίοις ἀλόχας ἔξαπαταῖσι λόγοις:  
 Καὶ κατὰ τῶν ἀγίων Θεῶν αἰδίοιο ἐφετμῶν,  
 Εὐνῶ ἀλλοτρίῳ ποσὶ ποθεῖσι Θεοῖς.  
 Ἀλλὰ Συκρήτῳ ἔχεις πολυκύνε Νυμφίε γνῶμῳ,  
 Καὶ κατὰ τῶν ὁρμῶν κοῖραν⊙ ἐστὶ κακῶν:  
 Ὅτι μὴ ὡς Μόναχοι ἀκάθαρτοι ἀποτρόπῳ εὐνῆ  
 Τέρπειαι, εἰδὲ κακὸν σῆς ἐπὶ Φρεσὶ νοεῖς.  
 Τῆνομα μὲν Μονάχοιο ἔχεις: εἰ μὴ δὲ μονάζεις:  
 Αὐτὰρ Ἀγρὸν σκάπῃεν Ἀγρονόμ⊙, ποθεῖς.  
 Ἡδὲ ἀρεῖν Ἀγρὸν κρυερῶ παρόμοιον Ἐρήμῳ,  
 Κάρτερ⊙ ἐντέλλει Φρεσὶ ποῖσι νό⊙.  
 ἔτ⊙ ἀγρὸς κραιναῶν καὶ ἐν μέσῳ ἐστὶ ἀκανθῶν,  
 Ἡδ' ἐν ἐρημαίῳ καὶ ἀφῆρω πεδίῳ:  
 Θησαυρῶν γεπέλει πολλῶν ἀντάξι⊙ ἄλλων:  
 Ἐπιγὰρ αἰμύλι⊙ παρθέν⊙ Ἀλβιακή:  
 Παρθέν⊙ Ἀλβιακή τε καὶ ἡμερῆεσσα ἀκοιτις,  
 Λατρεύεσσα θεῖν κ' ἀνδρα Φιλῶσα εὐόν.  
 Ἄγνωε ἦν κεδνῆ καθαρῆ τε μιγῆς παρθέκοιτι,  
 Ἀγρονόμῃς περ ἐὼν σκάπτε ἔρημον Ἀγρὸν.  
 Σκάπτε ἔρημον ἀγρὸν, τελείως ἵνα καρποφορήσῃ,  
 Ἡδ' ἄλλως Μονάχως Ἀγρονόμῆτε Φέρη:  
 Καὶ τόσῃς ἡγιῆς δότολαυσον Νυμφίε, Νυμφίε,  
 Ἡελίοιο ἕως ἡδὲ ὁρᾶτε φα⊙.  
 Ταῦτά σοι εὐμενέως μάλα εὐχομαι Ἄνερ ἀγαυέ,  
 Ἡδὲ λέχεσι ποῖς θεῶν χάριν αἰδέει.

*Johannes Schertelius Diespe-*  
*censis, Fr.*

Nunc

Nunc grata, Musa, dicite novo carmine  
Sponso, novaq; plaudite  
Sponsa, quibus nocere non potuit Venus  
Suis sagittis improba;  
Sed quos reservans ad torum iustum, DEUS  
Nectit beato fœdere.  
Nam conditor cœli tori consortium  
Fidum maritis in novis  
Sancivit, & statuit, ligati ut sint duo  
Animo, sacroq; fœdere  
Junctis opes promittit amplas, dulcia  
Lecti quoq; dare pignora.  
Promisit hac coniugibus: Nam Prepotens  
Et odit, & pœnis eos  
Puniet acerbis, Veneris impias modò,  
Turpesq; flammæ qui colunt.  
Ergo tibi nunc gratulor, doctissime  
Mi S P O N S E, quod iungis tibi  
Connubio stabili puellam quàm piam,  
Pudore multo præditam.  
Tollet tibi hæc magnos labores, maxima  
Parabit hæc tibi gaudia.  
Et lætor ipse, te & tuam carissimam  
Iungi sacro fœdere.

C

Viva.

*Vivatis ergo pacis & concordia  
Sincera amantes optimi.  
Fundatis ambo mente totâ gratia,  
Qui vos in unum egit, DEO.  
In rebus adversis rogare hunc coniuges,  
Vestras preces ut audiat.  
Avertat ut curas acerbâs & malas,  
Vobisq; det summum bonum.  
Tandem, DEUS, votis meis, ter Maxime,  
Ardentibus nunc te precor,  
Connubium concede contrahentibus  
Felix manens & prosperum,  
Ut procreent propaginem multam-bonam  
Vivantq; vitam Nestoris.*

*In amicitia Symbolum  
exaravit*

*Iohannes Hamelius Servestâ-Ano  
haltinus.*

---

*F*as & me lepidos tuos amores,  
Cultam moribus optimis puellam,  
Caram illam ingenuâ fide puellam,  
Castam illam ingenuo pudore **ELISAM**  
Pulcrâ illam facie rubente **ELISAM**,  
Cordis dimidium tui, toriq;  
Consortem Superum favore lectam:

*Hosce*

Hosce, inquam, lepidos tuos amores  
Fas est me celebrare luculentis  
Phalencis, elegis et expolitis.

Sed pridem mea Musa torpet, ut scis,  
Gelu perditam Semigalliarum,  
Quae nullum Aonijs liquoris haustum  
Gustarunt. Mala quae meis resistit.  
Res conatibus; officiisque partes  
Exsequi vetat: auribus tenellis  
Nisi me fors cupiam dare improbandum,  
Ridendumque procacibus cachinnis.

Esto: quod pietas, amorque poscit,  
Quis quaso increpet aut reprehendat illud.  
Ergo quod superest, est abs vocato  
Musarum auxilio expedire possum,  
Caepa vestra, precor, DEVS secundet  
Iugalis thalami supremus auctor,  
Vos est vivere, vos valere recte  
Dignetur, domus ut nepote crescat  
Multo, palmitis instar, annuatim  
Fructus faenore qui uberi reportat.

Curanulla sit in toro laborque  
Vestro, sed Charites volent in illum  
Et pax alma: sit una mens fidesque  
Hoc vobis roveo, Iehova faxit.

Georgius Chunrad Salinensis.




Fc 1249.  
gn

ULB Halle 3  
003 422 747  


Bitte noch kein  
Sammelbd. verwenden  
nach Ausleihe  
an Retro-Ecke  
OK  
Zurück!

VD 17







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

an 28

VLATORIA,  
**S**OREM  
M, QU  
A LITERIS  
DANIELIS  
Rectoris Scholæ  
PONSI,

**S**IMÆ AC  
GINIS ELISA-  
mi VALENTINI  
quondam Torgensis  
ONS AE, ad D. 30.  
ribus celebran-

& Amicis.

ERGÆ  
erlich, Anno 1608.



*Doctiss. Du. Petro à Fiebert amico suo plurimum  
colendo et Johanne Hamberg.*